Lettres patentes

Pour connoistre des Usures

Du 24 Aoust 1338

Philippus dei gratia francorum Rex: Deputatis a nobis, seu ab aliis, in Senescallia Bellicadri ad recognoscendum de usuris et transgressionibus ordinationum Regiarum et financiarum, feudorum et retrofeudorum a nobilibus per innobiles acquisitorum, salutem. In commisso hujusmodi negotio, ex certa Scientia adjungentes Senescallum dicte Senescallie, seu ejus Locum tenentem.

Volumus et vobis mandamus

Montpellier Arm. A. 7e cont. no 18. fol. 79.

Inhibentes expresse, quatenus contra mercatores licitas mercaturas exercentes, nullatenus procedatis, seu procedi permittatis, sed duntaxat contra manifestos usurarios, scilicet mutuantes pecuniam pro pecunia ad usuram aut merces a se venditas reementes, seu reemi facientes sub velamine usurarum, aut de praedictis contractibus usurariis, per famam publicam diffamatos. Et si aliquorum bona, qui hujusmodi conditionum, seu alterius non existant, ob hoc capta fuerint, distracta vel sancita, ipsa deliberari et reddi faciatis, sine custu. In processibus autem contra eos, quos praefatarum conditionum esse reperieritis, in eorumdem deffensionibus et rationibus ac debitis objectionibus illos, juxta formam, quam regitur terra illa, benigne admittatis.

Occasione vero financiarum, pro acquisitionibus feudorum et retrofeudorum, aliquos non molestetis, nec molestari permittatis, contra privilegia et ordinationes per nos seu predecessores nostros super hoc concessas et Editas; sed factum super premissis in contrarium revocetis, et ad statum pristinum et debitum reducatis, seu reduci faciatis, nonobstantibus Litteris, per quas mandari vobis dicitur, quod ad procedendo in vestris commissionibus fieret plena mentio et expressa. Datum Ambiani vicesima quarta augusti, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo octavo. Per Dominum regem ad relationem vestram.